



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Viridarivm Sanctorvm**

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]  
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

**Rader, Matthäus**

**Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607**

Arsenivs In Latro.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43013**

est acceptus, qui ea de re apud Amiranum postulati, centum aureis sese caputque redemerunt, quibus exinde eius seruandi libera potestas facta, quod argentea condidere arcâ, meritoque honore & cultu celebrare. Vnde & hodie fragrans sudat oleum, omnisque generis curat morbos ad Domini nostri Iesu Christi gloriam, & religionis Catholicæ testatissimâ fidem, eorumque qui super ipsius exemplo prius offensi erant ac defecerant, recuperâdam salutem.

## ANNOTATIONES.

**D**E Saracenis seu Agarenis ab Agare ancilla Abrahami patriarchæ natâ, deq; eorum institutis, fusè præter alios Nicephorus lib. 7. cap. 14. Et noster Pererius ad XVI. CAP. GENES. Vide auctores qui scribunt de Orig. Turcarum. alij a Sarak Arabico deriuant Saracenos.

33. Decem

## ARSENIUS IN LATRO.

**S**anctus hic noster pater, & miraculorum effector Arsenius Cōstantinopolitanus erat patria, parentibus Christianis, & religiosis, copiosisque & primariis ortus. Accessit ad illustrissimi generis claritudinem, ac pietatis laudem singularem, etiam alia dignitas, qua ab Imperatore est auctus.

Magnus



Magnus enim dux & patricius Cibyrhæotarum exercitus est creatus. Sed cum olim classis in mare iussu principis expediretur, illiq; Arsenius præflet, exorta ab imis pōti vadis atrocissima tempestate, tota classis fluctibus hausta periit, solo Arsenio in terram emerso. Parta hinc securitate, quam diu multumq; ingenti desiderio exoptarat monachum induit, corpusque afflicto sub ratiouis ditionem redegit. Porro inter exercitamenta adhibebat ieiunium, peruigilia, humicubationes, & si quid aliud esset, quod corpori esset molestum. Ad hæc ferro corpus onerabat, qui sanè chalybe & adamante durior ac firmior erat. Atqui immensum lacrymarum pelagus, peruigilesq; noctium totarum stationes, improbissimorum dæmonum insultus, frigorisq; & nuditatis tolerantiam, nemo, vti nec arenā, possit enumerando percensere. Ita præclare beatus hic belligerans, in locum Hiero obiectum à spiritu sancto mittitur, vbi generosus iste seminavit in lacrymis, locumq; illum planctus sedem declarauit, in quo in exultatione merere cæpit. Vestis erat illi fetis cilicinis horrenda, quæ reliquam à ferro & catenis vacuam corporis partem attriuit, Pascebatur agrestibus herbis, quas re-

*χαμνί-  
as.*

*Nomen  
mōris aut  
portus est  
Georgio  
Alexādrino in Vita  
D. Chrysof.  
ad Bospho-  
rū Thra-  
cium. Ar-*

ctius



*Arriano,* ctius quis retrimenta quam alimenta dicat,  
*Apollonio,* neque ipsius herbis ad facietatem pasceba-  
*Xenophōti* tur, sed gustare duntaxat videbatur. Aquæ  
*mons sacer* modum quoque permodicum adhibebat,  
*ad portum* ita ut infra biduum triduūmve vix semel si-  
*Euxinum.* tim sedaret. Deinde Latrum montē illum  
*λάτρον* admiratione deprecandū habitavit, ibiq;  
*mons Ana-* res admiratione dignas admirāduſ ille per-  
*choretis* perravit. Aspidem enim grassantem, & a-  
*frequens.* quas venenantē, sola precatione, & crucis  
 forma subito necavit. Deinde impulsu nu-  
 minis in Celliborum transgressus cœnobi-  
 um, brevi tempore præfecturā monasterii  
 gessit, multisque ad virtutem incitamento  
 fuit. Postea Lauram reuersus, ad optatam  
 quietem recurrit neglectus, vexatusque &  
 afflictuſ. Ingressus caueam feris infessam  
 seipsum exposuit, ac cum feris securus &  
 intrepidus, non secus ac Daniel quondam,  
 inter leones habitavit. Expurgatum à feris  
 antrum, animorum domicilium, & quasi  
 officinam instituit, fratrumq; rogatu Lau-  
 ram rediit, non in commune tamen vixit,  
 sed solus soli Deo addictus in angustissimo  
 quodam ergastulo seipsum inclusit, totaq;  
 hebdomade, neque cum vlllo sermonem  
 miscuit, nec cibi quicquam gustavit, præ-  
 ter diem dominicum, quo mos huic sancto  
 fuit



fuit vtrumq; facere, sermocinari, inquam, & cœnare. Aquarum amarorem virgâ in dulcedinem vertit. Eò verò perfectionis, extinctis prope sensibus deuenit, vti nullo terrestri pastu indigeret, sed angelorum pane, & immortali ambrosiâ pasceretur. Hæc dum agit, & studet, vitâ cum prudentiâ, fortitudine, temperantiâ, iustitiâ, peractâ, cum ad cœlestem vitam euocaretur, accersitis, vndique religiosis, de rerum humanarum contemtionem, de patientiâ, & fraterna sanctâque charitate, de animi submissione, de precatione multa docendo prolocutus, apertè flexo genũ, lacrimis oculos perfusus, sanctam animam in intemeratas Dei manus edidit, multaque post mortem miracula designauit. Virum enim quem piatm ex insania tumultum eius, effodere aggressum, membrorumque ob id facinus \* stupore merito percussum, ad se tandem reuersum, & ad tumbam ipsius sancti scelus deprecantem fratrum precibus incolumitati restituit. Monach⁹ aquâ intercute grauissimè pressus, aduolutus tumulto sanitatē precibus subito recepit, Deo que gratias egit, ac laudibus celebrauit, qui ita sanctos suos colit Dominus, ac solus Deus verus animarum nostrarum salus.

\* Gemina  
his leges a-  
pud Ioan.  
Moschum  
Eustratũ.  
c. 77. &  
78.

ANNO-



## ANNOTATIO.

**N**on est hic notus ille Arsenius Arcadii & Honorii magister, quo de Latini XIII. Cal. Augusti, & Græci VIII. Idus Maii in sanctorum fastis agunt. Hinc ad discrimen illius, hic Arsenius in Latro nominatur.

*Ps. Decēb.* **S. SVS ANNA QVÆ  
ET IOANNES.**

**H**Æc Maximiani Imperio vixit, ex Palestina, patre Idololatra, matre Iudæa oriunda, quorum impietatem amborum detestata ad Christum confugit, sacroque baptismatis fonte à Siluano Episcopo lustrata, parentibus morti concedentibus, opes omnes in pauperes effudit, seruosque & seruas omnes manu misit. Ipsa virili veste sumta, ad venerandum quendam patrem se contulit, rafaque in monachum Ioannes est indigitata. Vbi cum vicesimum ipsum annum peregisset, calumniã est passa. Monacha quædam ventitare ad cœnobium solebat, visamq; illam putabat virum esse, atq; ad lasciuiam sollicitabat: repulsam passa à Ioanne, cœpit illam criminari, perinde quasi vim sibi inferre esset conata: Susanna seu Ioannes crimen non refutauit, sed quasi reã se ad satisfaciendum pro illius voluntate para-